

societatem cum Christo.¹⁰⁷ Prohibet igitur seuere facere talem confusionem mensae Christi et daemoniorum, atque vis omnis antithesis est in nomine κοινωμία. Praeterea norunt omnes docti, quid significet κοινωμία et nequaquam fieri κοινωμίαν corporis Christi cum pane. Κοινωμία est Christi cum ecclesia et piorum tanquam membrorum eiusdem corporis inter sese in Christo. Abiiciamus igitur pontificium et idololatricum dogma de societate corporis Christi cum pane, quod nequaquam notum fuit Paulo nec eruditae vetustati.

Sed haec disputatio redigit mihi in mentem memoriam cuiusdam discipuli parum grati et clementis erga suum praeceptorem ridiculi tamen: Saul suum prophetam et doctorem reuocari voluit in vitam, vt consuleret eum de re graui, de exitu belli.¹⁰⁸ Sed iste inuidens suo praeceptorum, viro omnium optimo, quem non multo ante mendax et calumniatrix sophistica necauit, dulcem suam quietem, retrahit eum ex monumento, vt ipsi quoddam frigidum ψευδόμενον dissoluat et ita denuo eum iugulet. Sed responderet ipsi vir sanctissimus et mitissimus, quod ante aliquot annos cuidam simili Pyrgopo-[31:] linici¹⁰⁹ per somnum dicebat: οὐ γὰρ ἐμοὶ δυνατὸν τοῖς κυκλώπεσσι μάχεσθαι. Verum nos interea viliora, vt ille dixit, capita, ictus istos lethales excipiamus, inquit ille clarissimus vir. Si panis est illa res, qua initur societas cum Christo, necessario etiam impij accipientes panem inserentur Christo et ne, vt poëta inquit, possemus ἀλεύεσθαι κῆρα μέλαιναν,¹¹⁰ extorquet nobis arma defensionis. Neque ait haec propositio similis est isti „Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.“¹¹¹ Nam hic nulla fit mentio fidei, sed tantum distributionis. Ergo secundum Philippum in omnibus impiis accedentibus ad sacram coenam habitabit Christus. Huic telo ex sua opinione plane mortifero postea, sicut crudelium sicariorum mos est, addidit sarcasmos. Sed nos non exanimamur terrore. Cogitamus enim, quod ille vir fortis suo Paridi praeliatori exprobrat: κῶφον γὰρ βέλως ἀνδρὸς ἀνάγκιδος οὐτιδάνοιο.¹¹² Audiatur igitur nos, qui sumus ἀμυνόμενοι. Paulus erudit ecclesiam, non agit cum coetu idololatrato, et sacramenta instituta sunt pro credentibus, non pro impiis. Sunt enim sigilla iustitiae fidei.¹¹³ Quare insertio illa in corpus Christi non fit sine fide ex opere operato, sine bono motu vtentis vt docent pontificij aut sine cogitatione vt cum mus rodit panem. Qui igitur est sine fide, non percipit vt veteres dixerunt rem sacramenti, hoc est non inseritur corpori Christi. Ita vt spero laqueus contritus est et nos liberati sumus. Hanc phrasin Pauli vere luce meridiana clariorem imitata est vetus ecclesia. Graeci enim scripto-

¹⁰⁷ Vgl. I Kor 10,20f.

¹⁰⁸ I Sam 28,1–25.

¹⁰⁹ Vgl. Anm. 11.

¹¹⁰ Vgl. Homer, Ilias VII, 254, in: van Thiel, Ilias, 129.

¹¹¹ Röm 1,16.

¹¹² Homer, Ilias XI, 390, in: van Thiel, Ilias, 206.

¹¹³ Zu den „sigilla iustitiae fidei“ vgl. Philipp Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), in: CR 21, 847 (MWA 2/2, 498,10–13).